QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

die Iouis 29. Ianuarij.

M. DIONYSIO IONCQVET,

DOCTORE MEDICO ET HORTI REGII Botanico Professore, Præside.

Est-ne semper, & certum impedimentum generationis, Veneris vinculum?

I

MVNDI, & Amoris idem ferè initium fuit, ejus præcipua sollicitudo, & finis vltimus, processio viuentis à viuente, generatio est; quá, sexuum diuersitate, mutuis eorumdem amplexibus, & fœcundâ seminis effusione, homo æternitati precariæ studens, viuam sui imaginem traducit posteritati. Eo consilio, vetitis licèt ex hymenæis fortes interdum procreentur, & illustres viri; legibus tamen constitutum fuit, quo legitimi nascerentur, marem, & fœminam, indissolubili firmare connubij nexu; quem specioso Veneris vinculo nectere se posse, summo mentis errore venditant Arioli delirantes. Ligatura enim maleficij genus est, quod tribus nodis, nouenis interdum; trino colore, interdum vno; triplici in gremium, vel lutum sputo; & absurdâ verborum obscuritate, à matrimoniis congressum arcet! quasi conjugalis, vel illicitus amor habenas ferant, aut concilientur philtris? quasi tot machinis adimplenda generatio, futili præpediatur incantationis vecte? aut quasi vt hisce iret obuiam incommodis, prouida & solers natura, mari & fœminæ non inseuerit mirabile desiderium congressus. Id siue à seminis ab vtroque parente decidui, plurimo spiritu, & libidinis incentiuo; siue à genitalium exquisitissimo sensu proueniat, & titillatione præcellenti; Quonam in sexu intensior? tiresias judicet! Pluribus namque modis, fœminæ delectantur; & mares, dum gignendi actum risu & oscillatione consumunt, ipsâ videntur exanimari voluptate: atque licèt salaces amantium rixæ, & quæcunque distenta

libido dictat, penè faciant mixturam animarum, generationis officium impatientiùs ſollicitando, illud nihilominus vna ſexuum copula incipit, & abſoluit potens Venus.

II.

PRIMVM igitur, & certum ſemper generationis impedimentum, Veneris impotentia fuit, aliquâ naturæ aberratione inducta, vel maleficio. Naturalis impotentiæ obices quæris? Symptomata ſunt locorum, eorumdémque à conformatione aut intemperie morbi. Nec crudos annos moror; ſic ante duodecimum pueri, ſic nimio eorum vſu gelidi ſenes & curui pudicos animos ad prolem vexant fruſtra, aut cano quærunt cum Eugio puellitarier. Incaſſum etiam matura viro fuerit mulier, ſi ἄτρητος, adſtricta, aut laxa nimis; ſi genitalium torpore, & inepto corporis motu, vel morâ, neſciat ad plenos acui coitus, ad metam properare ſimul & cum ſocio ὁμορροθεῖν. Maris ſterilitatem inuehunt Phalli paralyſis, aut ignauia; veretri in mole, aut menſura vitium, nodus verpæ; ſatyriaſis; gonorrhoea, & alia id genus malè ſanæ libidinis monſtra: Idem præſtant Spadones, Eunuchi, Cinoedi qui rebus venereis non vtuntur, abutuntur; quarum etiam abſoluendarum imbecillitate laborant, cum habilitate, & deſiderio, ebrij, madulſæ; quos ingens odium, aut ruſticus fatigat pudor, & qui ſuſpiciendam Am. ſiæ pulchritudinem depereunt, aut ejuſdem maledicunt deformitati. Quòd ſi iis omnibus, & cupiditati maximæ nectat ſe maris verecundia, & femellæ pudicus honos, deſperata voluptas: Anima namque acriùs intenta in id quod amat, tota diſtrahitur; & quemadmodum excellens ſenſibile corrumpit ſenſum, ita & excellens concupiſcibile, concupiſcentiam euincit.

III.

HÆC quidem obſiſtunt generationi, ſed illo Veneris vinculo, pictis fructibus inertiori, nuſquam exulabit fœcunditas, quod naturæ delitiis tantùm obeſt, quantum profuit aduersùs terriculamenta puerorum, vrſi dorſum aſcendiſſe; infando tamen ligamine, in diem, annum longiùs, ante, & poſt connubium deligari poſſe fœminam aliquando, ſed rariùs; frequentiùs marem, ſæpe ſæpius comminiſcuntur magi: qui nec ſibi conſtant mendacibus præſtigiis, an lupi, felis, canis rabidi corio, ſenectâ ſerpentis; vel exuuio, ligula metienda, certum cujus nodorum numerum, nec ipſi tenent, quémve arbitratu ſuo computant & ſtatuunt; quaſi inter hæc artis opera, & naturæ myſteria foret aliquid commercij! Nec putes ab incondito iſto murmure, faſcinum naſci, in quo nec fingi poteſt vis certa contactus, nec electionis; multò minùs ſuborietur incantatio à litteris, & verbis ephæſiis, cùm illud ex conſtituto voces habeant, vt quid vnum ſignificent, pro explicandâ alteri alterius mente. Demum nec à ſpiritu fit maleficium per pulmones errante, vel excluſo, quem ſingulis momentis noua corporis à morbo, vel ſanitate temperies mutat, aut pridiana victus ratio. Hinc carminibus dyſenteriâ curatum fuiſſe Antilochum, dormitans Homerus ſcripſit, & meritò Xenocratem

& Pamphylum insimulauerunt imposturæ , qui talibus se verbulis mederi mentiebantur, quòd nusquam inclusa sit ignotis verbis sanitas, vti nec morbus. Sola igitur nerui jacentis inertia, quam frequenti pellicum assuetudine contraxerat Theodoricus, effecit, vt conjugem non subierit Hermanbergam, quin & Amasis ipse, fascino impotentiùs reluctante, dum puellarem Zonam diffibulat ludens, & virgineum delibat Laodiceæ florem, deridiculum simul Veneris vinculum soluit.

IV.

VERVM quemadmodum latrocinium in viris lacertorum robur fecit, ita & in mulieribus ob mollitiem præualet veneficium; quódque ingenio sint leui, mobili, credulo, subdunt se citiùs præstigiis Dæmonum, & incantationi: Sed cur maribus illaqueentur difficiliùs? Scilicet! quòd corpore sint ad patiendum gestienti, in generatione habeant materiæ vices, & lex Diuina jusserit, eas esse paratas semper & obsequentes viris; penes quos stat actio, eáque princeps; cui tamen horâ quâlibet vacare nequeunt, quòd motus verendorum nullo sit poscente importunus, & sæpissime destituat inhiantem, quódque dum in animo concupiscentia feruet, frigeat in corpore, & lasciuiendi libidini, libido non seruiat. Sed multos prisci cogitauerunt modos, imò experti sunt, quibus anteuertitur, aut soluitur nodus ligulæ: Sæpe fabula. Nec enim licet, imò non potest sine culpâ maleficium trudi maleficio? Nunquid Dæmonum beneficia omnibus sunt nocentiora vulneribus? Vnde prudenter admodum similibus nugis & seuerioribus, Gallica sapientia detraxit fidem, quæ viles homunciones, quos propria vel aliena insania fascinatores putat, natalibus ablegat locis, in quibus non tam aliorum perniciei sunt, atque excidio, quàm sibi ineluctabili paupertate graues: Et, amabo te, quis? vel appella finxit! firmatum Christo connubium, propagando mortalium generi adeo necessarium opus Dei, tot sancitum sacris, impotenti ac veteri Sagarum odio destrui, aut artifici ad fallendum Cacodæmonum perfidiâ, qui ligati latrant semper, nunquam mordent nisi volentem. Neque aliud, sanctioris disciplinæ ferunt minæ, quam vt caueant ne magicis nodulis, & incantatione, circumuentus lubricæ fidei miser homo, eam putet ligandi, deligandíve potestatem penes mortales esse, quam in se, nec à seipsis Dæmones habent, néve qui se incantatores simulant, expresso pacto vel tacitâ conductione delusi, aut abutentes, irretiantur strictiùs; & humanæ mentis vitio, vt assequantur quæ non capiunt, malarum artium implorent opem, à quibus nos sacra, & suprema quam colimus potestas trahit.

V.

IRATAM cogitas placare Venerem, & genialem conscendere thorum; legitima Veneris impedimenta, summoue inguinum morbos cum eorum pullitie. His fascinum certiùs vinces quam nocturno sydere, & murmure absurdo lectis Artemisia, Abrotono, Hypericone, Ruta, Appensis collo acu funerata, lupi veretro, & caracteribus sanguine vespertilionis

ſcriptis ; his, inquam, ſuperabis maleficium, potentiùs adipe ſuillo, canis nigri pinguedine, lupino ſeuo illitis poſtibus deſponſatorum : galli teſticulis alligatis nupturientium ſpondæ, fabis ſectis, nucibúſque hinc inde ſparſis, quà ſponſus & ſponſa progrediuntur, & redeunt, transfuſo per ſponſalem annulum lotio, vel ſimilibus quiſquiliis, quas falſi priorum vates temporum animi causâ, vel ad quæſtum inuenerunt ſubdolè, vt malis artibus impeditas generationis vias, pejoribus reſerarent. Sed hæc magicæ vanitatis ἀδεισιδαιμονία jamdudum Chriſtianorum mentibus excidit, & fide, improperantium jure ſacrilegos Gentilitatis ritus, quæ vt à ligaturæ maleficiis, contemporaneos vindicaret, auerſas inire mulieres ſuaſit, aut præoccupare hymenæum. Verùm, exoptas amoliri congreſſus impotentiam, ſine carminibus, ſine veneficio, ſine herbis; tuis fige deſideriis, inſere præcordiis continentiam, & ama; pone inſanos motus, & temulentiam; ſanari velle, pars ſanitatis erit; demulce tempore, nimios furentis amoris igniculos; ſubortum ab eximiâ pulchritudine ardorem, ſuetâ ventitatione compeſce; animi facilitate, ad Amaſiæ ſe ſe componentis mores, odium tempera, & officioſis obſequiis dele deformitatis nęuum; funerata pars reuiuiſcet; & extincta Venus caſtitatis incendio reſumet vires; Optimâ victus lege priſtinum reſtitue corpori robur, docebis conjugatos neruis vti, reddéſque generandi poteſtatem.

Ergo nec ſemper, nec certum impedimentum generationis, Veneris vinculum.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Bertinus Dieuxiuoye
M. Stephanus Bachot
M. Ioannes Baptiſta Moreau, Profeſſor Regius.

M. Euſebius Renaudot.
M. Iſaacus Renaudot.
M. Antonius Morand.

M. Petrus Yuelin, Sereniſſ. Aurelianẽſium Duciſſæ Medicus prim.
M. Mathurinus Denyau, Profeſſor Regius.
M. Franciſcus le Vignon Decanus

Aſſerebat Lutetiæ RAYMVNDVS FINOT, Bitterrenſis,
A. R. S. H. M. DC. LXV.